

Q. B. V. D.
DE 1679, M 23
ADVOCATIS
EORUMQUE
OFFICIO
IN
BENE CONSTITUTA REPUBLICA
VALDE NECESSARIO,
PRO OPTINENDA
DOCTORALES UTRIUSQ; JURISHONORES
LICENTIA

Publicè disputabit

Carl Heinrich Seylßmiedt/

CRIMMITSCHENSIS MISNICUS

RESPONDENTE

JOHANNE HENRICO MYLIO,
HALLENSI SAX.

Ad diem 28. Maii (7. Junii) M. DC. LXXIX.
H. L. Q. C.

ERFURTI,
Typis KIRSCHIANIS,

L. B.
HOC. QVALE. QVALE. SIT. SCITO. SACRUM. EI.

QVI.

SPLENDET.

GENERIS. NOBILITATEI
CORUSCAT.

EJUSDEM. ANTIQUITATEI
IN. QVO. SI. QVÆRAS.

VIRTUTEM.

INVENIES. TOTAM.
CONJUNCTAS. QVE.

CUM.

GENEROSITATE. HUMANITATEM.

ET.

PRUDENTIA. PIETATEM.

ITA. PRAECLARE. SE. GERIT. OMNIBUS.

MIHI. OLIM. FUIT.

SUSCEPTOR. VENERANDUS.

FUIT. EST. ET. ERIT.

MOECENAS. USQVE. COLENDUS:

NOMEN. AVES?

EST.

CAROLUS. BOSE!

DYNASTA. IN. MILAU. LENGENFELD. ETC: ETC:

SERENISS. MAURITIO.

A. CONSILIIS. ET. PRAEFECTURA. PLAVIENSIS:

P R A E S E S.

VIR. NUNQVAM. SATIS. LAUDANDUS.

POSUIT. HOC.

E J U S D E M.

CLIENS.

Carl Heinrich Peylschmiedt.
CRIMM. MISNICUS.

I. N. J.

PROOEMIUM.

Ngens inter quosdam extitit hactenus contentio, Advocati in Republ. sintne tolerandi, an ejiciendi? Et sanè etiam posterioris affirmantium castra, quin multi sequuntur, advertes ubique, his moti rationibus, quòd clientes decipiunt, adversarios fatigent, judicia corrumpant, nocentes liberent, mala quæque Reip. inferant; Ast cordatores facile deprehendunt, de rabilis, imperitis, illiteratis, qui nec nomen Advocati merentur, dicta accipi debere, benè gnari, Advocatos veros talia non tentare, ne cogitare quidem, sed omnibus modis eniti, ut causæ ritè tractentur, lites finiantur, clientes recipient suum. Ob abusum itaque usus, ob inutile, utile non est tollendum. Quod ipsum sequentes pagellæ latius demonstrabunt, fiat ergo initium

AUSPICE DEO!

G A P. I.

De

ADVOCATIS.

I.

AD VOCATUS ab ad & vocando dictus, quasi ab aliis ad vocetur in consilium vel auxilium, GENERALITER pro iis, qui quoquo modo causis agendis præsunt, ut Patroni, Procuratores comprehendantur, l. 1. §. 11. π. de extraord. cognit: in primis Procuratores Cameræ, Gail. lib. 1. Obs. 43. n. 8. in fin. SPECIALITER vero pro eo, qui potissimum causam alienam Juris reme-

A 2

re me-

remediis tuetur, Schot. Exam. Jurid. p. I. de Adv. 1. § 2. qu. 1.
accipitur. Alias PATRONUS CAUSARUM, ORATOR,
CAUSIDICUS, TOGATUS, JURISPERITUS, DEFENSOR &c.
appellatur, Finckelt. Tr. de Jure Patron. Cap. 1. n. 19. § seqq. it.
MILES militiae togatae, seu COELESTIS, Zang. de Question. s.
tort. reorum C. I. n. 75. § 76.

II.

Est verò ADVOCATUS vir vita ac morum probitate, mul-
tarumque rerum usu & experientia prædictus, qui causis agendis
vel defensandis quoquo modo vacat, operamque suam ac pa-
trocinium litigantibus præbet, ad hoc vocatus. Rosbach. Prax.
Civ. Tit. 18. n. 1.

III.

ADVOCATI vel sunt VULGARES, vel FISCALES. VUL-
GARES vel STATUTI, vel SUPERNUMERARII. ILLI dic-
cuntur, quorum nomina matriculæ inserta, certo foro inservi-
re debent, l. 13. C. de Adv. 1. Sic forum Praefecti Prætorio
centum quinquaginta, l. 8. l. 11. pr. § 9. ult. l. 17. pr. C. d. t.
Forum Praefectura Urbaria 80. l. 7. C. de Adv. 2. Forum A-
lexandriæ in Ægypto 50. l. 13. C. de Adv. 1. Forum Comitis
Orientis 40. l. 3. C. de Adv. 2. Forum Praefidis Provinciæ Sy-
riacæ 30. l. 5. pr. C. eod. continent Advocatos. In Camera Imper-
iali 24. Ord. Cam. p. I. Tit. 18. Sic etiam Curia Suprema Li-
pvensis certos constituit zum Rechtlichen Verfahren/certos etiam
zur Güte. His describuntur, qui sunt supra statutum numerum,
& per omnia fora liberè oberrant, l. 11. §. ult. C. de Adv. 1.
Quod referunt Advocatos & Procuratores Camerales, recens in
ordinem receptos, qui causâ cognitâ alii foro inservire pos-
sunt, modò sine incommodo causarum ipsis creditarum fiat, eò
quod forte exiguum adhuc causarum agendarum numerum
habeant, Ord. Cam. p. I. §. 19. vers. Es sollen auch N. verbis:
Doch so die Jungen id. Hodie ingens Supernumerariorum da-
tur caterva, ita quidem, ut si eò indoctos Procuratores, & rabu-
las, qui promiscue in nonnullis judiciis, non nisi maximo Rei-
publ. incommodo, Advocatorum privilegia sibi applicant, re-
ferre velis, numerum fermè illorum innumerum conficias.

FI-

FISCALES sunt, qui causas fisci agunt & defendant, quibus multa competunt privilegia & dignitates, t.t. C. de Advocatis Fisci.

IV.

Omnis possunt esse Advocati, qui non prohibentur. Prohibentur MINORES, decem & septem annis, l. 1. §. 3. vers: Pueritiam π. de postulando, junctio §. ult. I. Qui ex quibus causis man. non possunt. FURIOSI,† MUTI, SURDI, d. l. 1. §. 3. d. t. quod in Surdastro non obtinet, Treutl. Vol. I. Disp. 8. tb. 1. lit. f. COECI, † l. 1. §. 5. π. d. t. nisi alicubi moris sit, ut Advocati inscriptis & non oretenuis coram desideria exponant. Mutum, † aut surdum ex accidenti tales Advocati munere fungi posse, constituto interim Procuratore, qui actus judiciales exerceat, optimè statuit Dn. Stryk. Tr. de Jure Sens. Dissert. q. c. 4. n. 10. FOEMINÆ, † quæ pro aliis postulare nequeunt, quis pudori sexus non congruit officiò virili, quale hoc est, fungi, l. 1. §. 5. π. d. t. l. 18. C. de Procurat. etiam foeminas à viris, non vice versa defendi æquum est, l. 2. π. de Injuriis. §. 2. I. eod. in tantum, ut ne pro liberis propriis admittantur, l. 31. §. 6. π. de negot. gest. Pro se tamen postulare non vetantur; quia propriam defensionem suscipere non virile, sed cuiusvis est officium, nec rei sexus benè gerendæ occasio cuiquam est auferenda, l. 4. §. arg: l. 9. C. de Procurat. Usu autem forensi, de Jure Saxonico, foeminae pro se quidem postulare possunt, nisi habeant curatorem ad item, Ord. Proc. Tit. VIII. pr. Const. El. 15. p. 2. Carpzov. p. 1. Const. 1. Def. 30. & in Proc. Tit. 5. Art. 5. n. 46. §. seqq. item lib. 3. Resp. 13. adde Wissenb. p. 1. Disp. XI. tb. 6. Posset tamen tentari, foeminas jure natura etiam pro aliis postulare posse. De quo in conflictu. Patet hinc HERMAPHRODITOS Advocati munere fungi posse, si virilis sexus in eo prævaleat, l. 10. π. de statu bom. l. 15. §. 1. π. de testibus. INFAMES, † d. l. 1. §. 5. π. de Postulando, Amad. Eckolt. ad π. de Postulando §. 4. Est enim nobile Advocationis officium, l. 1. §. 2. C. de Adv. 2. Infamibus autem portæ dignitatum non patent, Cap. 87. de R. J. in Sexto. l. 2. C. de Dignitat. Quibus non absimiles, qui immo- dicâ avaritiâ æstuant, & nimia habendi cupiditate rapiuntur.

A 3

Jodoc.

Jodoc. Damhoud. in *Prax. rerum Civ.* c. 129. n. 8. SERVI, † l. 6.
C. de *Judicis*. BANNITI, † Ord. Cam. p. 2. Tit. 9. §. So iemands
ꝝ. EXCOMMUNICATI, † cap. 12. x. de *Except.* cap. 8. de *Sent.*
Excommun. in 6. VASALLI † in causa contra dominum, ob id
feudo privandi, arg. §. 1. 2. F. 33. Hahn. ad *Wesenb.* de *Postulando* n. 5. In iusta † verò causa patrocinium contra magistratum
præstans, nec iura civitatis amittit, nec poenam incurrit, Carpz.
p. 1. C. 1. Def. 21. JUDICES † in eadem causa, l. 6. pr. C. de *Postulando*. Quæ enim colligant poterit manere fiducia, qui,
quem habere debet arbitrum & justitiae diribitorem, adversarium
sibi deprehendit? Et quæ poterit de judicio isto, quod justitiae of-
ficina esse & dici debet, concipi spes, nisi talis, quæ pessimum
suspiciatur eventum? Ziegl. *Dicast. Concl.* 19. §. 3. CLERICI, †
nisi pro se aut conjunctis agent, Cap. I. x. de *Postulando*. HÆ-
RETICI, † l. fin. C. d. t. JUDÆUS, † contra Christianum: it:
Is, qui sacro baptisme lotus non fuerit, & veram fi-
dem non habet, l. Nemo 8. C. de *Postulando*. l. 15. C. de *Epi-*
scop. Audient. Perez. in *Cod. de Postulando* n. 4. ADVOCATI, †
qui adversæ parti postea patrocinari nequeunt, Carpz. lib. III.
Reff. 3. n. 17. 18. & seqq. etiam si miserabilis persona fuerit.
Næque enim facienda sunt mala, ut eveniant bona, neque pieta-
tem dixeris exhibitam uni, cum everfione alterius. Pietas vult
innoxia esse: non dixeris eleemosynam futori profuturam, qui
è corio furtivo confeitos calceos in pauperes erogavit. Nec †
adèd honestum videtur, ut in Secunda instantia reo patro-
cinetur, qui in prima actori præstitit patrocinium & vice ver-
sa, Bernhard. Græv. in *Proœm. Concl. Praet.* n. 41. Quidt quòd,
qui Actoris fuit Advocatus & victoriam causæ obtinuit, par-
ti adversæ contra executionem intentatam absque suspi-
cione patrocinari nequit, Carpzov. Lib. III. Ref. 3. Remove-
mus † itidem & maximè removemus IMPERITOS, ILLITERA-
TOS, quos RABULAS non immerito vocaveris, & à Gail. Tr.
de *Arest.* C. 9. n. 17. Gerichts. Plöderer / die fast alle Verschreibun-
gen streitig zu machen wissen/ appellantur. Qui miseros rusticel-
los vi adamantinā ad sc pertrahunt, & iuident, ut litem moveant
do-

dominis, Knichen. de Invest. Paſt. C. 3. n. 60. § 62. Qui venales se exponunt, & venientibus occurrent, dicentes: Domine, benè veniatis, quid habetis facere in curia? Si vobis necessarium est meum servitium, præcipiatis, Speckhan. Cent. 2. Claff. 4. qv. 44. n. 4. Deſ quibus verè dici potest, quòd ſint ut pica & psittacus, qui ſtant in palatio dominorum, & loqvuntur ſine intellectu: quorum imperitia totum mundum deſtruit, ponit conſcientias magnorum virorum in magno diſcrimine; Bald. in Conf. 6. Vol. 4. quibus ſuggerunt multas clauſulas, quas ipſi non intelligunt, Alex. Conf. 52. n. 29. Vol. 4. Egregiè Carpzov. P. I. C. 2. D. 15. n. 2. Qui pro Jctis leguleji, pro Politicis nebulones, & pro Oratoribus procuratores exiſtunt. Viri extra omnem dubitationis alcam improbi, qui ad mala facienda inſtructi, quæ non decet, eloqvuntur, mentes puras turbant, & impoſturiſ decipiunt, ſicque verè peſtes Reipubl. pernicioſiſſimæ populiqe adulatores exiſtunt, adeò ut peſtis illa nobiliſſimas quasque provincias jamdudum occuparit teſtante Heig. p. 2. qv. 7. n. 1. Vivis ve- rò coloribus à Petro Gregorio Tholofano in Synt. Juris Univers. lib. 49. C. 6. n. 32. § 33. depinguntur: Iſtæ cicadæ, inquit, iu- dici officiunt; Nihil enim præter verba, quaſtūs tanūm gratiā, blaterant & grunniant, veritatē obſcurant, tempus judicandis litibus decretum battologiā inutiliter terunt, falsa pro veris, à patre mendaciorum ſic edoſi, evomunt, lites protelant, & pendætērinas faciunt, litigantes deciplunt ac conficiunt, ſucisq[ue] & inanibus verbis judicium protrahunt, quæ res in civitatibus omnibus & ſingulis maximè pernicioſa eſt: discordiam quippe ciuium, ſimilitates & odiā parit, juxta illud à non ignoto dictum: lites ubi multæ & injuriae multæ ubi ſunt, cives inter ſe amici non ſunt. Hæc ille. Quibus + conſona, quæ Parthen. Litig. lib. 1. C. 9. n. 11. refert: Es pſteget auch gemeiniglich also zu geben/ wenn Ora- toris für Rechtſgelehrte gebrachet/ die größten Schwächer und Streit- Kopſe für die besten Juristen gehalten werden. Solche Geſellen wiſſen das Recht zu drehen/ wie man es haben will/ wiſſen böſe Sa- chen zu verbüumen und gut zu machen / mögen kein gewiß Recht le- den / ziehen alles füſſelich in Zweifel / diſputieren allezeit / ſind in Schluſſen ungewiſſ. Es kan ihr einer mehr verwirren / als ihrer- zehn

zehen schliessen mögen ; Mühmen sich / daß keine Verschreibung so stark / dadurch sie nicht ein Loch machen können / welcher umbsonnenen Mede wegen sie bislich in das engste Loch / so vorhanden / damit sie kein anders machen könnten / gesetzt würden. Acet licet imperitia saluberrimis improbecatur legibus , l. 11. s. 1. C. de Adv. 1. l. 9. C. de LL. ut propterea nec hodie in solo admittantur , priusquam suæ eruditionis testimonium & professum in studio Juris exhibuerint , Organisch Ausschreiben de Anno 1583. Tit: Von Advocaten und Procuratoribus . §. Gebieten darauf 2c. Ord. Pol. de Anno 1612. Tit. III. §. Besonders auch 2c. Churf. Sächs. P. und G. Ordin. Tit. III. §. Besonders aber 2c. Resol. Gravam. Tit: Von Justitiensachen / §. Zum vier und dreysigsten ibi : So wollen wir unsern re. anderweit Kraft dieses ernstlich anbefohlen haben / daß solche ungelehrte Personen / so ihres Studierens / Erudition und Geschicklichkeit halber kein publicum Testimonium oder Specimen fürlegen können / in ihren anbefohlnen Gerichten nicht zulassen / sondern gänzlich abschaffen / und do sie über Verboth sich ferner dessen untersahen würden / mit Gefängniß / Strafe / ohne einige Connivenz und Ansehung der Persohnen belegen sollen. Unde † etiam quotidiè pronunciatur : Dass N. Advocat seiner Erudition und Geschicklichkeit halber ein grungsamb Zeugniß vorzulegen re. Dn. Schwendendorffer , JCtus in Academia Lipsiensi celeberrimus , in not. ad Fibig. §. 1. p. m. 19. ut † propterea scripta seu supplices libelli , vel positiones legales , supplicationes und Rechtliche Gesätze ab Advocatis Subscribi debeant , Resol. Gravam. d. l. §. Und damit hierüber zum fünff und dreysigsten re. verb: Dass die Richter die Supplicationes und Rechtliche Einbringen re. Quid† quod etiam alias gentes , præter Germanos , istiusmodi ineptos Advocatos à dignissimo advocationis officio optimè excludere videmus ; uti & proximè in novellis Lipsiensibus p. 3. hebdom. 17. Ann. 1679. Mens. April. à Gallis scriptum memini : Paris vom 18. dito , Der König ist entschlossen / das Studium Juridicum alhier wieder einzuführen / und sollen diejenigen / so sich zum Advociren wollen gebrauchen lassen / alhier oder anderwo drey Jahr lang studiret / und die 3. öffentlichen Disputationes mit Ruhm ausgestanden haben. Videmus † tamen , his non attentis , passim ad judicia ingentem Imperitorum gregem accura-

accurrere, ibidemque admitti, vel ex conniventia judicis, ve
adversae partis, qui miserrimos clientes seducunt, compositiones
amicabiles ut plurimum impediunt, pecuniam extorquent,
cum adversario conspirant, judices corrupti, causam prote-
lant, imo egregium opus facere se existimantes, si omnia de-
creta, omnes sententias à viribus rei judicatae suspendant. Hinc
tot prævaricationes, tot falsationes. Sed t̄ unde hæc omnia?
Nisi ex Rabularum infictia! Qui sine his artibus cause victori-
am vix ac ne vix sibi persuadere possunt. Fatendum t̄ quidem,
etiam peritos Advocatos omni honestatis ratione posthabita in-
terdum talia facere, quæ officio eorum minus congruunt; im-
peritiam tamen potissimum hæc efficere, nemo forte inficias-
ibit. Optandum sane, ut Principes & Magistratus huic malo,
quod indies, non sine maximo Republicæ detimento, latius
serpere videtur, occurrit; Sic enim Res publica salva, multo-
rum conscientiæ tranquillæ, plurimorum animi pacati relinqve-
rentur.

C A P. II.

De

ADVOCATORUM OFFICIO IN REPUBLICA VALDE NECESSARIO.

I.

Est verò laudabile, vitæque hominum maximè necessarium
ADVOCATORUM officium, ut sine eo Rempublicam benè con-
sistere non posse, afferere non vereamur, Græv. Concl. 43. n. 1.
Egregia sanè sunt, quæ in l. 14. C. de Advoc. 1. habentur, di-
gna, ut hic ascribantur: ADVOCATI, inquit Imperator,
qui dirimunt ambigua fata causarum, suæque defensi-
onis viribus in rebus sæpè publicis ac privatis lapsa-
erigunt, fatigata reparant, non minus provident hu-
mano generi, quam si præliis atque vulneribus pa-
triam, parentesque salvarent. Nec enim solos no-
stro imperio militare credimus illos, qui gladiis, cly-
peis,

B

peis & thoracibus nituntur, sed etiam Advocatos. Militant namque causarum Patroni, qui gloriose vocis, confisi munimine, laborantium spem, vitam & posteros defendunt. De quibus porro Imperator: Dignum namque existimamus, ut cum omnes bona facientes, nostram laudem & protectionem omnipotenter mereantur: quorum scientia totus illuminatur mundus, & ad obediendum Deo & nobis ejus ministris, vita subjectorum informatur &c. Artb. Habita. Cod. ne filius propare. Ita omnino est. Quis enim nescit, hominum facta interdum sic esse obscura, ut ad cruentum actionis genus vel oraculo saepe opus videatur? Quis non videt, judices haud raro existere tam perfractæ frontis, ut patientur se corrumpi? Plurimi etiam judiciis, praesertim paganis, affidere judices imperitos; quo ipsi miserrimi litigantes ab adversario decipi, a judice vero ad remissionem juris, vel aliud quid facilè induci, quinim cogi possunt. Quod Reipubl. pernitiolum, immo exihiolum videotur futurum. Cui tamen per Advocatos occurri potest, quippe qui causarum genera diligenter evolvere, perspicue ea in judiciis proponere, artibus technicis, fallaciis & imposturis adver- siorum, immo & improbo judicis facto omnibus modis resistere tenentur. Ut taceam causam Criminales, ubi nihil facilius fieri solet, quam ut judex in delicti circumstantiis non satis informatus vel ob imperitiam, vel nequitiam, innocentem condemnat reum. Ad quod Deus irascitur, Angeli ingemiscunt, Diaboli rident. Advocato tamen opus, qui ponderatis omnibus delicti qualitatibus defensionem rei suscipiat. Vid. Weizengger. Diff. 6. l. 9. n. 143. ubi Advocatos adjungendo esse putat, nec aditum ad carcerem iis præcludendum: immo nihil cogitantibus defensores ex officio constituendos esse, ne indefensos condemnentur, cum notissimum sit, alios ex simplicitate, alios ex terrore suas defensiones allegare non posse. Const. Capol. art. 47. vers. Und so der Gefangen, ibiq; Zieriz. in not. Vid. Parid. de Puteo Tr. de Synd. qu. an stetur. n. 50. ubi dicit, quod
Adv-

Advocati debeant interesse disputationi, an indicia sint sufficien-
tia, & an rei debeant torveri, non autem, quando reus exami-
natur, vel deponit, ne instruatur ab iis. Cautela tamen adh-
benda, vel ut Advocatus jurejurando adstringatur, quod reum i-
si crimen in progressu apparuerit, amplius defendere nolit, nec
nisi iustis defensionibus uti velit. Ita recte. Agitur enim hic
de sanguine hominis, qui inestimabilis. Was Zeit? Was
Arbeit? Die arme / auch wohl viel unschuldige Leute müssen die
Häuse dazn thun. Es wachsen die Köpfe nicht wieder als die Wei-
ßen. Justus Oldenkop. Tr. de Appellat. in causis Crimin. n. 116. ex
Godelman. de Mag. & Malef. in seinem Lenzischen Antwort Schrei-
ben ante lib. 3. fol. 5. Unde tamen bene quidem meo judicio
asserit, inquisiti Advocate defensionem ejus deducturo, dandam
esse copiam actorum inquisitionalium, l. c. qu. 1. Dissentit Carp-
zov. Prax. Crim. p. 3. qu. 115. n. 99. Insuper tamen & peritissimo-
rum interest, causam per Advocateum tractari, cum suâ in causa
quis facile consternatur, voce, vel mente deficiat, & minus quis
affectionibus temperare possit in suâ, quam in alienâ causa, Don.
lib. 18. C. 13. Abeant tamen ergo, qui Advocateorum munus est Re-
publ. tollendum existimat; qui vilissima capita, forensia pecora
eos appellant, aliaq; in opprobrium Advocateum allegare solent.
Parum enim malevolorum iniquas in hunc nobilem attendimus
censuras ordinem. Hi namque, quum verum Advocateum & con-
scientiosum à rabulis & improbis nescient distingvere, nihil aliud
efficiunt, quam quod Justitia virtutum Reginæ vim inferre ni-
tantur. Certissime hinc judicandum, haec atque talia non nisi
ab ASININO cerebro provenire, ut non immerito dixeris, ad ex-
tremas usque Garamantas hujusmodi obtructatores & calumnia-
tores fore relegandos. Quamvis tamen non negem, posse Magistra-
tum summum huic rei limites ponere, eamque certis cancellis
includere, quod in bene constitutis Rebus publ. factum videmus.

11.

Sed non aliter Advocateorum necessitatem in Republica
admitimus, quam quatenus ea agant, quæ officio eorum ex-
æ congraunt. In id vero potissimum incumbat ADVOCATUS,

ut clientibus fidele p̄t̄stet patrōcīnūm, cōsulēndo
& advōcāndo, in p̄imis sp̄eciem fādi probē examinet, & si-
quidem clēns actōr futurū, actōnis genū, in cujus evolutione
hād parūm sitū, cruat, omnes ac singulas circumstantias à cli-
entibus exposcat, nec quicquam eorum, quæ ad fundāndū ju-
dīcīum pertīnēt, intermitat, Gail. lib. 2. Dec. 49. n. 5. In-
p̄imis † autē observet actōnis causam, ex qua agitūr, jūs,
quo agitūr, & rem, quæ petītur. Uno verō horū defi-
cientē, actōr est inutilis & infirmi fundamenti, & actōr quasi la-
terē lavat in obtinendā clientis sui causa, teste Joh. Oldend. in
arg. operis class. §. Prīmū. Plures † ubi competunt actōnes,
prout non nunquam fieri solet, l. 34. l. 41. &c. de O. & A. com-
modiorem eligat, §. s. I. Quod cum eo, qui in alien. potest. neg-
get, esse dicetur. Quidq̄d quod & reūm defensurū diligenter na-
turā exceptionū exquirere tenetur. Notanter Schulz. Obs.
Praet. 10. n. 33. ibi: Operam dabit actōr, ut & cautē verletur,
in libello efformando, & id, quo redigi quandoque caula possit,
ipso agēndi exordio comprehendat, ne tardius eō deficētētē
non actūm de eo esse, neque petītū reūs objiciat: Contra ve-
rō reūs in id intendat, ut si quid ab actōre omīssū libello sit, aut
non rite conformatum, ipse omnes defensionis suę partes sta-
tūtū in initio atque in lite contestandā sic p̄emuniat, ut regressus
actōri non patet, ad ea, quæ imprudente agēndi principio p̄z-
termis̄a, demū in progressu judicīi multū sibi ad vīctoriam
profūlura esse intellexerit. Ante † omnia amicabilem concordā-
m & transactionēm svadēt. Ord. Process. Tit. III. verb. Billiche
Vergleiche mehr befördern/ als verhindern. Quanquam, † proh
dolor, jam eō perventum, ut ad litigandum magis, quām transi-
gēndū clientes adhortentur, dum nullām occasionēm corra-
dendi pecūniām, & māspila implendi p̄ztermittēre velint.
Causam † insuper manifestō in justam non suscipiant, nec, si ini-
qua p̄st deprehendatur, continent. Unde † jurare debeant,
se integrō animo causam sui clientis suscipere, nullām se operam
nullūmque studium in causa clientis sui intermittere velle: de-
nique si quid malitiosē, aut improbē fangi in cā postē deprehē-
derint,

derint, ejus se patrocinium protinus omisuros, l. 2. pr. C. de Jurejur. propter calumn. dando. l. 14. s. 1. C. de Judic. Optandum + foret, adhuc hodiè hujusmodi juramentis Advocatos obstringi, ne promiscuè, etiam in notoriè iniquis fiat defensio. Verum crescente indices hominum malitia, ne occasio detur perjuria sæpius committendi, non amplius haec observari ac optimo jure abrogata censemus. Verendum + enim, ne rabulae, quibus judicia ubique ferè lecent, de calumnia potius committendà, quam omittendà jurent. Illi + enim sine delectu clientes recipiunt, per fas & nefas illos defensuri. Hi inquit, salvificum illud dicem Matth. 11. vers. 28. in pessimum sensum, (horrendum di-Qu!) deterquentes: Venite ad me omnes (clientuli) qui labo- ratis, (i. e. malas causas habetis) & onerati (i. e. locupletes) esitis, & ego reficiam (decipiam) vos. Berlich. p. 1. Concl. 9. n. 62.

III.

Causam + verò sicut inviti, nisi sero catere velint, l. pen. C. de Postulando, Græv. Concl. 43. n. 5. § 14. suscipere coguntur, ita suscepit sine manifesta clientum injuria defere non pos- sunt, l. 5. C. de O. § A. Sed ad finem usque se laboriosos, dili- gentes exhibeant, atque ex sua negligentia clientibus tenen- tur, Caccialup. de Advoc. qv. 4. n. 6. Fustum + etiam facere di- citur, qui debitam cause diligentiam & studium non exhibet, Lan- cell. de Officio Adv. cap. 7. n. 5. Ceterum + Advocato non sol- vendo existente clienti per restitutionem in integrum succurratur. Carpzov. lib. III. Resp. 4.

IV.

Arcana + quoque clientis nullatenus pandant. Tenentur e- nim clientulos suos quam maxime plena defendere fide, alias per- fidi dicuntur, Gl. in can. Irreligiosum 5. Dif: 87. Ord: Cam: p. 1. Tit: 84. ibi: Auch Heimlichkeit und Behelf/ so sie von Partheyen empfahen. Rutg. Ruland. Tr. de Commiss: lib. 1. c. 25. Unde + Confessionariis æquiperantur, Paulus Fulcus Singul. 31. Berlich. Dec. 40. n. 6. quia quicquid hoc in casu sit, non scit ut homo, sed ut Deus, c. 2. in fir. x. de officio jud. ordin. Secus faciens falsum committit, l. 38. s. Instrumenta. 9. π. de Penis, ut & prævaricati- onem, Ord: Cam: 4. l. incurrit infamiam, l. 4. π. de Prævaricatione.

à foro repellitur, l. 5. C. de Postulando, clienti ad damnā expensas & intereste tenetur, arbitrariè multatur, & sententia insuper, ob prævaricationem lata, est nulla, Carpz. d. l. Rep. 3. n. 3. & seqq. Non s̄ itaque Advocatus sui clientis documenta literaria ostendat, inspectionem lectionemque permittat, ut causam adversarii simul defendendam suscipiat, etiam si à persona miserabili vel conjunctā fuerit rogatus, vel nudum dederit consilium, vel renunciaverit priori patrocinio. Heig. p. 2. qu. 4. n. 15. vel dimittatur à suo cliente, Umm. Process. Dis. 11. th. 8. n. 39. in fin. vel adversari partii gratis patrocinari velit, sive in secunda instantia, sive in executione. Vid. Cap. 1. th. IV. Quinimò nec testis esse potest in causa contra suum clientem, Piccius Aur. Jur. Civ. S. 5. n. 138. quia quæ ipsi revelata, debet plaud nescire, instantum ut ne à judice cogi possit arg. l. fin. π. de Jurisd. nisi veritas alteri haberi nequeat; Mascard. de Probat. Concl. 66. n. 9. Adde Monach. Tr. de Jurisd. ad l. 16. & 17. d. t. n. 3. & Advocatus scientiam rei controversæ ante advocationem suscepit, vel etiam post eam, aliunde habuerit. Berl. d. Dec. 101. n. 6.

V.

Causam s̄ porrò sic tractare debent, ne item ex industria protrahant, l. 6. §. 4. C. de Postulando. nec nimis verboſitate utantur. Ord. Process. Tit. III. pr. verb. Wie auch aller unmöthigen Weitläufigkeit sich enthalten. Quæ loquacitas à Salustio canina facundia appellatur, & qui illa gaudent, litium consutores, togati vultures, & pecunia accipitres vocantur, Græv. Concl. 151. Confid. 1. n. 16. Produnt ita lucrandi aviditatem, & si accesserit allegationum cumulatio, quæ judici acta perlegenti, nauseam facit, stultitiam, Carpz. p. 1. C. 1. Def. 4. n. 5. Nec s̄ convenient Advocate contra acta negare, aut partes ad negandum instruere, Id. d. l. Def. 20. n. 4. Neque etiam ad confessionem revocandam excitare; uti & nuper in quadam sententia ad Præfectos Cygnenses, in causa inquisitionis contra Erdmann Friedrich Kölbeln und Samuel Grossen zu Nieder Schlema/ in punct. einer verüchten Schlägerey/ Mens. Jan. 79. ex Scabinatu Lipsiensi Advocate cuidam ob id pœnam s. Joachimicorum diatam esse memini, hisce formalibus: Und ist Kölbel's Advocate, daß er demselben sein Geständniß zu revo-

revociren/ in der Defension Auleitung zu geben/ sich nicht entblödet/ ümb sünd Orthlr. in Strafe zu nehmen / V. S. W. At convitis
in super absqueant, Ord: Torgent; de An. 1583. Tit: Von Advo-
caten und Procuratorem/ §. Wann aber nach angewandten Fleiß re.
Ord: Proc: d.l. ibi: Alter städtlichen anzuglichen Worte/ so wohl ge-
gen die Gerichte/ als ihren Gegentheil und dessen Beystände sich ent-
halten re. In tantum, ut vaniloqua eorum linguae praecidendas
esse opinetur Bernhardus, teste Carpz. p. 1. C. 1. Def. 19. n. 7. quod
taxen durum nimis forc putarem. Nomina + quoque horum effi-
centum in frontispicio positionis exprimant, Ord: proc: Tit. 7. ibi:
Alsobald bey dem ersten Saal aller ihrer Clienten Lauf- und Zunah-
men/ so wohl berer von Adel Häuser/ davon sie sich schreiben/ zu ex-
primiren. Nec + siac mandato compareant, Ord: Proc: dict. Tit.
7. pr. vers. Das Einbringen aus Richterlichem Amt verworssen
re. §. Wann auch einer mehr ic. vers. In Verbleibung dessen der
Part in die Expensen ic. Quibus si Advocatus contravenerit, ar-
bitrari punitur, Carpz. lib. III. Rep. V. Nicol. in Proc. p. 1. C. 6.
n. 19. Praeterea + iura non in scriptis, sed oretendis ab Advocata
esse proponenda in Const: 1. p. 1. expresse reperitur sanctum,
quod novissime in Rescripto Electorali de dato Dresden d. 25. A.
pril. 1672. confirmatum: Auch vernehmen Sr. Thurs. Durch-
missällig/ daß etliche Advocaten nicht von Mund aus in die Feder in
der gewöhnlichen Versetz-Stuben einbringen/ sondern ihre zu Hause
gesertigte Säge durch ihre Schreiber und Jungen denen Copisten zu-
senden/ und ad Acta schreiben lassen re. verordneta demnach hiermit/
daß die Advocaten sich dessen hinsüro gänglich/ und zwar bey 20.
Orthlr. Strafe/ so oft sie dessen überführ/ enthalten sollen ic. Idq;
in Supremo Dicasterio Appellationum ita praecise observatur; in
aliis autem, si in primis negotiorum adit multitudo, non sequit ob-
servari, testatur sori observantia.

C A P. III.

De

SALARIIS & PRIVILEGIIS ADVOCATORUM.

I.

A dvocati gratis patrocinari non tenentur, sed æqvum est, ut ac-
cipiant honoraria. Et si quidem civili sapientia pretio numma-
rio

rio non sit estimanda, nec de honestanda, l. i. §. 5. π. de Extraord.
cogn. quia autem operarius dignus est suā mercede, quidam etiam
vel ex avaritia, vel impudenti rusticitate & omni posthabitā grati-
tudine honoraria Advocatorum retinent, rectissimē ipsis honoraria
petendi facultas concedetur. Et quamvis ḡ Advocatus pro modi-
co salario advocans, villis & contemptibilibus habeatur; Græv. Concl.
44. conf. 1. n. 1. tamen ita judicem in hisce versari oportet, ut pro
modo litis, proq; Advocati facundia, & fori consuetudine, & ju-
dicii, in quo erat aetatus, estimationem adhibeat: ne licitum ho-
norarium quantitas egreditur, l. i. §. 10. π. d.t. quod centum au-
reos excedere non debet, l. 3. C. de Postulando. Causis criminalibus,
Trentacinqu. Var. Resol. de Postulando resol. 1. n. 12. p. m. 334. Ar-
duis, Gvido Papæ Dec. 190. aut salario immodico juramento confir-
mato, exceptis. Adde Finckelth. Obs. 98. n. 49. Sed hoc proce-
dit in causa aliena, in propria verò nō aliter exigunt salaria, quām
sub praetextu damni, Carpz. Proc: Tit. 24. Art. 2. n. 11. 15. & seqq.
Porro † debetur totius anni salarium, si Advocatus initio vel me-
dio anni moriatur, Gail. lib. 1. Obs. 44. n. 12. Nec † in principio
anni solutum, causā deficiente, repeti posse, Id. d. l. neq; † ab Ad-
vocati heredibus, Francisc. Pfeil p. 1. Concl. 54. etiam † ubi intra
annum finitus fuerat processus, totius anni rectè peditur, Carpz.
p. 1. C. 1. D. 34. vel † unam saltem epistolam scriperit. Schultes.
qu. 5. per tot. vel † cliens in causa succubuerit arg. l. 10. §. 1. π. de
negot. gest. vel † causa per amicabilem compositionem finem acce-
perit, Græv. 1. Concl. 44. n. 9. §. 10. in tantum † ut expensæ ali-
mentorum, vestiarū & simillium, Zehrung und Fuhrlohn insuper
debeat. Surd. de Aliment. Tit. 1. qu. 68. n. 1. §. Tit. 4. n. 6. Vor-
gauisch Ausschr. de An. 1583. Tit. Boni Advocaten und Procurato-
ren, §. So ein Rechtsgelahrter re. ibi: Aber nothwendige Zehrung re.
etiam † antequam pedem de domo movent, arg. l. pen. C. de Testib.
Græv. concl. 44. n. 20. §. 21. Non † tamen debentur, quas impen-
sas ad voluptatem fecit Advocatus, arg. l. 10. π. mand. nisi † forsitan
dominus istorum sumptuum rationem admittat, aut inter eos aliter
convenerit. Tandem † non attendi debet, an facilis studio, an ma-
gno labore, librorumq; laboriosa revolutione præstitum sit patro-
cinium. Non solum enim præsentis laboris, sed & exacti tem-
pis,

ris, in Jure addiscendo ratio haberi debet, l. ult. C. de Aliuv. Et hinc etiam ultra salarium munuscula ad esum & potum, Germanicè: Geschenk in die Küche &c. accipi posse statuunt Molina Tom. 1. de I. § J. Disp. 88, vers: Primum est. Lessius de I. § J. Tom. 1. lib. 2. C. 14. n. 72. quamvis tūtius agere ab hisce abstinentem existimet Dn. Ziegli. in Dicast. concl. 20. §. 35. cūm & minimis sit affectio, & ex minimis si permittantur, facilis ad majora optanda & capienda sit via, Parth. Litig. lib. 2. C. 10. n. 13. Tantissimum non sunt lepus, cuniculus, capo, caprea, perdix, pavon, lucius, murena, salmo aut varia vinorum genera, ut Advocatus probus hisce corrumpi deberet. Carpz. Pr. Cr. p. 2. qu. 93. n. 61.

II.

Pauperibus verò gratis adistere tenentur Advocati, idq; sub pena interdictionis fori, l. 7. C. de Postulando, Gail. 1. Obs. 43. n. 14. Caccialup. Tr. de Adv. C. 3. qu. 3. n. 5. Qui enim miseretur pauperi, beatus erit, Deut: 15. v. 10. Prov: 14. v. 32. Pauperi porrige manum tuam, & percisiatur benedictio tua, Psalm: 41. v. 2. it: notanter Es. 58. v. 7. § 8. Adde Ord: Cam: p. 1. Tit 19. §. fin. ibi: Auf daß auch niemand Armut halben Rechtlos gelassen werde/ so soll der Cammer-Richter/ so zu Zeiten seyn wird/ die Sachen der Armen / die ihrer Armut Uhrkund und Anzeig bringen / und den Cyd der Armut in massen/ wie unten gesetz / erstatthen / den Advocaten und Procuratoren/ ihnen zu ratthen/ und zum besten in Rechten fürzubringen befehlen / und welchem Advocaten oder Procuratoren also solche Sachen befohlen werden/ der soll bey der Pēn Entschzung seines Ampts / die ohne Wiederred auffnehmen &c. Et hoc t̄ procedit, etiam si juraverit Advocatus, se nunquam gratis patrocinatum, Gail. 1. 1. Obs. 43. n. 16. modòt adversis fortunæ casibus, sine culpa & luxu quis in paupertatem inciderit arg. l. 203. π. de R. J. & juramentum paupertatis præstiterit, Carpz. p. 1. C. 1. Def. 28. quod tamen t̄ præcedere debet summaria paupertatis demonstratio, quæ per sententiam quotidie sic injungitur: Würde Cläger/ daß er die Rechtsfertigung nicht verlegen könne/ gnugsamem Schein

C

Schein zu den Aßen bringen / und so denn das Juramentum Pox-
pertatis würtzlich leisten / so ergehet darauf fernier / was recht ist re.
Dn. Schwendendorffer in Notis ad Fibig. pag. mibi 49. Quo †
faðo jurare debent , se tantum non habere , unde expensas
judiciales vel salarium Advocato solvere possint. Ord. Cam. p.
1. Tit. 78. ibi : Ich N. schwöhre einen Cyd zu GODZ / und auf
das heilige Evangelium / daß ich also arm bin / auch nicht an lie-
gender und fabrender Haab noch Schulden vermag / daß ich die
Langley umb nothdürftige Brief / noch einen Advocaten bezahlen
oder belohnen könne ; daß ich auch darumb mein Haab und Güther
gefährlicher Weis nicht veräußert oder übergeben habe. Interdum
verò adjiciuntur verba : Und so meine Sache mit Recht erhalten/
oder sonst zu bessern Vermögen kommen werde / daß ich alsdann
jedem nach seiner Gebühr Bezahlung / und Ausrichtung thun wolle
et. Ord. Cam. dicto loco. Debet enim pauper, finitā causā, si vi-
ctor in eā obtinuerit, sumptus refundere. Grav. Concl. 43. conf.
1. n. 10. Gail. qui rationem addit Lib. 1. Observ. 43. n. 19. In †
Rebuspublicis autem bēnd constitutis , ut in Provinc. Sax. Ord:
Cur: Lips. de Anno 1549. §. Es sollen auch drey Procuratores Sc.
certi Advocati constituti sunt , qui Pauperum appellari solent,
quique publico salario annuo ex fisco ad hoc conducuntur.
Sicut & in aliis Judicis ex arario publico Advocati , res pau-
perum tractantes , honorarium accipient. Carpzov. p. 1. C. 1.
Def. 25. n. 6. Ubi † fisco pede non transcendunt , quod , pau-
pere pendente processu mortuō , heredes jusjurandum pauper-
tatis reiterare teneantur. Inest enim huic juramento vinculum
spirituale erga D E U M , solius jurantis conscientiam strin-
gens , & proinde de animā ad animam extendi & transire ne-
quit. Itaque heredes pauperum de sua inopia non minūs ,
quam eorum antecessor , juratō testabuntur. Mynsing. Centur. 1.
Observ 81. ibi : Præstito juramento à paupere , si is pendente
sit decedat , liberū ipsius , ad quos actio jure successionis per-
venit , jusjuratum reiterate tenentur , alias non proceditur
in causa. Unde † in Curia Electoralī Suprema , quæ Lipsiæ est ,
Anno 1631. Term. Lucie in causa A. H. W. vs L. contra W.
R. 311

R. zu B. ita pronunciatum : Dass der Procesz zur Mothdurft re-assumiret. Würden nun auch iehige Eläger ihres angezogenen Unvermögens beglaubten Schein ad Acta bringen / und das Juramentum Pauperiaris darauf würtlich ablegen / so trgehet alsdann in der Sachen fernier was recht ist. V. M. W.

III.

Dantur etiam certa remedia , quibus Advocati salario debita exigere valent , qualia † sunt conditio certi , si certum ; &io ex stipulatu , si incertum sit promissum. Gail. Lib. 1. Observ. 44. n. 3. Actio † præscriptis verbis. Subest enim negotium innominatum , facio ut des. Nam quoties de factis queritur , quæ propter suam excellentiam non recipiunt mercedem , & tamen æquum sit , pro operâ aliquid praestari , tunc si non potest negotium ad certum aliquid reduci , præscriptis verbis agendum est. t. t. w. de P. U. Specialiter † quoque favore Advocatorum introductum est , ex sola salarii promissione , nudo pacto faßtæ extraordinariæ agi posse. l. 7. l. 56. s. penult. w. mandati. l. 1. C. eod. idque sequenti formâ fieri poterit : P. P. Eläger sagt kürzlich / wie daß er Beklagtem in Sachen N. contra N. seithero advoco habeant gewesen ; Weil nun Beklagter ihm zum Salario Einhunderf Reichs- Thaler zu geben versprochen / und zu deren Abtrag in Güte sich nicht verstehen will : Als fordert er deutliche Antwort / und bittet zu erkennen / daß Beklagter die libellirten Einhunderf Reichs- Thaler nebst denen verursachten Unkosten Elägern abzutragen schuldig se. Nobilissimum Sc. Potestas † insuper datur Advocatis Acta privata aliaque documenta retinendi , donec de salario ipsis satisfiat. Carpzov. p. 2. C. 25. Def. 23. Gothofred. de Salario C. 13. th. 17. Coler. de Proces. Execut. p. 1. C. 2. num. 247. quam in rem facit elegans Responsum Facultatis Juridicæ Lipsiensis en J. W. J. U. D. und Canonicum des Stifts N. Anno 1632. 3. Julii datum , & à Dn. Fink. in Observ. Pract. 98. n. 45. relatum , quod quia hanc rem egregie illustrat , non impingemus illud huc adscribere : Ob

C 2

wohl

wohl sonst niemand in seiner eignen Sache ihm Recht sprechen /
und keiner eines andern Güther / wider seinen / des Herrn/ Bil-
len haben und behalten kan ; Dennoch aber und dieweil die Jura-
Retentionis nachgelassen / und nach bewährter Rechts Lehrer Schlus
ein Advocat die Acta , Urkundten / und andere zur Rechtfertigung
gehörige Sachen seines Clienten / so er bey sich gehabt / so lange in-
nen behalten könne / bis ihm sein gebührendes Honorarium entrich-
tet worden / in dem seine angewandte Mühs und Arbeit eine billige
rechtmäßige Ursach der Reception ist / und sein Fleiß in der Rech-
tfertigung gleich geachtet wird dem Vertrag und Unterkosten / so etwau
Doselbst aufgemendet seyn mögen : So seyd ihr/ als gemesener Ad-
vocat eures Clienten Acta , in angeregter Criminal - Sache / bey
euch innen zu behalten / wohl besuge / V. R. W. Tenetur ta-
men Advocatus Acta exhibere , si Republicæ interfit. Carpz.
p. 2. C. 25. Def. 23. n. 5. § 6.

IV.

Quemadmodum verò in bene ordinatis Rebuspublicis cives
boni præmis, mali pœnis afficiuntur, l. i. §. 1. ff. de J. § 1. i-
ta idem in personis Advocatorum fieri videmus. Varia enim
ipsis competere privilegia ex l. 9. l. 11. §. 1. l. 13. C. de Advoc. 1.
l. 3. §. 5. l. 7. C. de Advoc. 2. adparet. Gaudent enim † immu-
nitate à muneribus, l. 6. C. de Advoc. 1. Perez. in Cod. de Advoc.
1. n. 4. Torturæ † non possunt subjici ob crimina commissa, l. 8.
C. de Questionibus. nisi latæ Majestatis, hæreseos & delicti ne-
fandæ dictæ fuerint accusati. Zanger. de Questionib. seu tort. reo-
rum Cap. I. num. 75. 76. § seqq. In † causis propriis litigantes
non solvent sportulas, l. 7. §. ult. C. de Advoc. 2. Fruuntur †
beneficio competentis, Carpzov. p. 1. C. 32. Def. 18. n. 1. Et
Salaria † jure castrensis peculii tenent. l. 4. l. 8. C. de Advocat. 1.
Notandum † tamen, quod Salariorum nomine in concursibus
creditorum reliquis creditoribus non præferantur, Carpzov. p.
1. C. 28. Def. 30. Sed † nec à pœnis sunt exempti. Sic prohi-
biti postulare, si nihilominus postulaverint † puniuntur atbi-
trarie,


trariè, l. 1. §. 6. π. de Postulando. Schobell. Disput. ad x. 3. th. 6.
Vassalus † contra dominum feudi patrocinum præstans, bene-
ficio privatur, 2. Feud. 24. §. 2. vers. Item si delator. Secus, si
juslo judicis hoc sit. Gail. Lib. 1. Observ. 88. n. 5. Donatari-
us † postulans contra donantem tanquam ingratus rem donatem
amittit, l. fin. C. de Revoc. Dou. Gail. l. cit. n. 6. Juslo autem ju-
dicis factum, nihilominus cessat. Idem dicto loco num. 7. Præ-
varicatores quomodo puniantur, vid. suprà Cap. II. Thes. 4.
Hæc de Advocatis eorumque Officio in Republica sumwopere
necessario dicta sunt. Plura adjicere, nec tempus, nec
instituti ratio permittit. Ideò hæc finia esto.

S O L I D E O G L O R I A!



C 3

P. 8.



S. P.

PRÆNOBILISSIME ATQUE CONSULTISSIME

DOMINE Beylschmidt!

 Namdiu Te novi, semper Te dilexi. Multa
in Te placuerunt, unum præ reliquis: In-
genio polles judicioq; Pollent eō & alii; sed
quod magnificatio ad usum quasi & praxin
videris natus. Vera id Jurisprudentia est! Recorderis
Tecum amice svavissime. Vix hauseras prima Jurium
fundamenta, en! CARPZOVIUS noster de Accessio-
ne anomala & traditione disceptantem Te defende-
bat. Mox, ubi solidior erat eorum notitia, ipse Tuæ
non vulgaris eruditionis specimen edebas. In mul-
torum manibus adhuc versatur eruditissima illa, sub
antesignani nostri Jcti DNI. B.L. SCHWENDENDORF-
FERI moderamine de Juramento Purgatorio habita
dissertatio. Vice utrâque contingebat per amicitiam
nostram, ut contradicerem publicè. Cordicitus fa-
teor, egregium sententiæ Tuæ Advocatum præstiti-
ti. Sed paulò post aliter & multò laudabilius mune-
re hoc functus es. Orabas causas non proprias, sed
quod

quod Advocati est , alienas . Defendebas non quod
disceperant Scholastici , sed quô opus habebant clien-
tes Tui . In quo munere optimè hactenus rem Tu-
am egisti . Quid mirum ergo præmia sequi certami-
na , honores excipere labores , &c laudem manere ,
virtuti perpetuam ? Qyumquæ dissertatio Tibi ex mo-
re jamjam habenda sit , aptiorem huic rei materiam
reperire vix licuisset , quâm quæ de Adyvocato agit .
Advocatus de Advocato , ut

Navita de Ventis , de Tauris narrat orator .


Euge ! auditor quondam , nunc ordinis ejusdem socie ,
quævis Tibi felicissimè cedant . Dura hactenus per
genitoris obitum fata expertus es : erunt posthinc
leviora , quin acceptissima & summopere fausta . Ita
Voveo ! ita spero . Interim vale & fave Tuo , quem
nostî ,

ex aſſe


Lipsie die 17. A.
1679.

L. ANDREÆ MYLIO.

CHINESE GOVTS.



(X2618056)



Farbkarte #13



Q. B. V. D.
DE 1679, C
3
23

ADVOCATIS EORUMQUE OFFICIO IN BENE CONSTITUTA REPUBLICA VALDE NECESSARIO, PRO OBTINENDA DOCTORALES UTRIUSQ; JURISHONORES LICENTIA Publicè disputabit Carl Heinrich Leylschmiedt/ CRIMMITSCHENSIS MISNICUS RESPONDENTE JOHANNE HENRICO MYLIO, HALLENSI SAX.

Ad diem 28. Maii (7. Junii) M. DC. LXXIX.
H. L. Q. C.

ERFURTI,
Typis KIRSCHIANIS,